

Dyalogus de^a heresi bohémica.

Cum et tacendi et loquendi tempus sit, quando commune instat periculum, desperantis potius quam religionis^b est servare silencium. Omnium est conclamare in unum et currere ac ferre
5 presidium. Quando aut impetus hostilis aut incendium ingruerit civitati, presertim eorum interest, qui vigiles civitatis sunt, eos, qui in arce^c sunt, ipsum quoque patrem familias expergefacere et ad subveniendum in necessitatis articulo convenire. Hac igitur consideracione pulsatus quidam simplex, presbitero-
10 rum^d minimus, exclamans hoc in tempore, ut archanum plurimarum conscienciarum valeat serenari, paucis verbulis quasi quibusdam susurriis^e aures audiencium benivole voluit occupare. Igitur quoniam spiritus sanctus sanctissimis prophetis sic est attributus, ut tamen ad tempus pro infirmitate carnis et contrarie-
15 tate peccati ab ipsis offensus abscederet et iterum placatus sub oportunitate temporis adveniret, ideo, ut perplexitates versuciarum Beemoth, quibus hiis diebus et presertim propter sectam Hussistarum humanus animus plerumque occupatur, aliquantulum destruantur² et sapiencia, que vincit maliciam et rerum
20 exitus metitur suaviterque disponit omnia, dum plurimorum noticia fuerit comprobata, pulcrius elucescat,³ dyalogum subscriptum effundere presumpsit, in quo Ratio et Animus in negocio dei et ecclesie pariter fabulantur, largiente quoque domino bonorum omnium distributore duo principia humanorum
25 actuum, scilicet intellectus et voluntas, ad dandum pacem ecclesie dulciter simul possunt in concordiam convenire.

^a Ratio: Ach, quibus et quantis malis ecclesia dei iam premitur et validis inimicorum^f incursibus turbatur!

30 ^a de — bohémica *add.* 2. ^b l. religiosi *v. spät. Hand am Rand* 2.
^c arte 1. ^d frater Andreas in S. Magni confessoris in pede pontis Ratisponensis monasterio vivens sub regula B. Augustini *am Rand mit Zeichen zu* presbiterorum 1. *im Text nach* minimus 2. ^e Ratio loquitur *add.* 2. ^f iniquorum *corr. am Rand* inimicorum 1.

35 ¹ *Vgl. S. 441 Z. 4 und S. 505 Z. 19.*

² *Vgl. S. 444 Z. 13 ff.*

³ *Vgl. S. 442 Z. 12 f.*

Animus: Que sunt ista mala, et qui sunt isti validi inimicorum incursus, de quibus loqueris?

R.^a: Nonne vides ista mala, que iam fiunt per Bohemos? Qui cum olim essent populus dei electus, quidam ex eis abeuntes retrorsum a deo salutari suo recesserunt et modo sociatis 5 eis ex omni terra sceleratis sic invaluerunt, quod non contenti terminis suis omnes terras per circuitum, scilicet Austriam, Ungariam, Moraviam, Slesiam, Misnam, Franconiam et Bavariam gladio, igne et rapinis conturbant.

A.: Ut audio, inimici isti, de quibus loqueris, sunt hii, 10 quos Hussistas nominamus.

R.: Tu dixisti. Et ego prima fronte tibi dixissem eos tales esse, sed timens, ne forsitan nimis impetuose alloquens te aliquantulum provocarem, volui eos discreciori modo inimicos nominare. 15

A.: Dic^b, queso^b, qui sunt hii, et unde originem acceperunt, qui tali nomine vocantur, et ego benivole audiens te libenter tecum fabulabor.

R.: Hussiste isti vocantur^c a quodam Bohemo Johanne Huss, qui^e propter varios hereticos, erroneos^d et scandalosos 20 1415 articulos anno domini 1415. 4.^o die Julii in generali Constanci-
Juli 4. ensi concilio in presencia Sigismundi serenissimi Romanorum Augusti et nunc^f regis Bohemie iudicialiter est sentenciatus et combustus.

A.: Mirabilia sunt talia et ideo non inmerito diligentius 25 indaganda.

R.: Utique sunt mirabilia, et ideo, si humiliter tamquam parvulus ista quesieris, declaracio sermonum in hoc negocio tibi dabit intellectum.

A.: Dic, queso, aliquem articulum illius erroris. 30

R.: Ex quo de multis modicum tamquam humilis petis, nosse debes, quod ille Johannes Huss fuit imitator pestiferi dampnatiq[ue] dogmatis cuiusdam Anglici, qui vocatus est Johannes Wicleff, quod interpretatur mala vita.¹ Hic inter alia perversa dogmata asseruit, quod universitates, studia, collegia, gradua- 35 ciones et magisteria in eisdem sunt vana gentilitas et vaga gentilitate introducta et tantum prosunt ecclesie sicut dyabolus.²

A.: Dic, rogo, fuitne ipse Johannes Huss alicuius gradus?

^a Racio 2. ^b Dicque 2. ^c om. Hss. ^d errores 2. ^e om. 2.
^f regis nunc 2. 41

¹ Vgl. S. 158 Z. 20 f.

² Vgl. S. 142 Z. 4 ff.

R.: Ymo presbiter fuit et baccalarius in theologia ac liberalium arcium magister universitatis Pragensis.¹

A.: Numquid ipse confessus est se esse presbiterum?

R.: Ymo certe. Eciam ultima confessione, quam^a propriis
5 manibus scripsit.²

A.: Merito debitam passus est penam, qui gradus tantos ab ecclesia approbatos ascendit et, licet de gradibus gauderet, Johannem Wicleff, qui nōtorius fuit hereticus et pertinax in heresi decessit anathematizatus, virum catholicum et doctorem
10 ewangelicum false predicavit. Nam quemadmodum in celo angeli angelis, ita in terra homines hominibus principantur.³ Tolle enim gradus ordinum in terra, et nullus ordo, sed sempiternus erit horror. Verumtamen libenter clarius istud a te vellem audire.

R.:^b Fuit quidam rusticus, qui conferens cum quodam presbitero dixit: Bonum videretur, quod sic non gravemur per dominos Dixit^c presbiter: Et quomodo? Respondit rusticus: Certe quod omnia essent equalia. Dixit presbiter: Si tibi istud sic placet, numquid tibi eciam placeret, si ingrediens
20 domum tuam, in qua tu es dominus, servus tuus vellet esse similis tibi? Respondit rusticus: Certe non. Dixit presbiter: Quare non? Respondit rusticus: Res ista stare non posset. Dixit presbiter: Quia res ista, quemadmodum tu asseris, stare non potest, quid tunc debet fieri? Respondit rusticus: Melius
25 est, ut antiquo more servato ordine superioribus inferiores sint subiecti.

A.: Tu quidem rationabiliter ista sentis.

R.: Sed tamen iste Johannes Huss sine successoribus non discessit.

A.: Dic, queso, qui sunt hii?

R.: Unus e multis principaliter fuit quidam laicus nomine Jeronimus, liberalium arcium magister, nacione Bohemus.⁴ Hic primum comprehensus iustam dampnationem Johannis Wicleff et Johannis Huss professus est et iuravit se in hac fidei veritate permansurum. Postea vero tamquam canis rediens ad
35 vomitum publice asseruit prefate dampnacioni dictorum Wicleff

^a om. 2. ^b Exemplum rusticanum, sed bonum, quod oportet esse in rebus ordinem superiorum et inferiorum *am Rand 1. ebenso, ohne* sed bonum 2. ^c Pres-b. dix. 2.

40 ¹ *Vgl. S. 143 Z. 7 ff.*

² *S. 221 in Kap. 11.*

³ *Vgl. S. 140 Z. 1 ff.*

⁴ *Vgl. S. 143 Z. 12 ff.*

et Huss se inique consensisse, unde in eodem Constanciensi concilio similem penam sui complicitis accepit. In uno tamen articulo idem Jeronimus, scilicet de sacramento altaris et post transubstanciationem panis in corpus Christi^a, professus est se tenere et credere, quod ecclesia credit et tenet, dicens se plus 5 credere Augustino et ceteris ecclesie doctoribus quam Wicleff et Huss.

A.: Placet quidem, quod de sacramento altaris bene sensit, sed quia in aliis pestiferis dampnatisque dogmatibus Wicleff et Huss, proch dolor, adhesit, ipse sibi ipsi repugnavit. Utinam 10 dictum Katonis¹:

Sperne repugnando tibi tu contrarius esse.

Conveniet nulli, qui secum dissidet ipse, pro salute propria memoriter tenuisset. Unde vellem scire, quot fuerint articuli dampnate memorie Wicleff et Huss. 15

R.: Sicut in actis Constanciensis concilii habetur, principales articuli Wicleff^b fuerunt 45 et alii eciam 260 de eius libellis excerpti², Huss vero principales articuli, quos in libro, quem de ecclesia intitulavit, et in aliis suis opusculis posuit, fuerunt 26³ et alii plures, ut in actis concilii continetur, per 20 testes sufficienter contra eum probati, de quibus expedit magis tacendum quam loquendum, ut huiusmodi pestilenticis doctrinis humanus animus non polluatur.⁴

A.: Ex quo talis pestifera doctrina cum suis auctoribus in prefato Constanciensi concilio, quod cetus cardinalium et 25 5 nationes, scilicet ytalica, gallicana, germanica, anglicana et hispanica, faciebant et in quo tribus obedienciis in unam reductis^c unicus ecclesie pastor, scilicet Martinus V., concorditer a cardinalibus et prefatis nacionibus Sigismundo Romanorum Augusto et Ungarie rege, fratre Wenczeslai regis Bohemie, presente est 30 electus, tam autentice est dampnata, quis tam temerarius fuit, ut acta tam solemnibus concilii presumeret impugnare?

R.: Cum pro informacione aliqua querere sit una e 5 clavibus sapiencie^d, sapienciam tibi imputassem, si sapienter quesivisses. 35

A.: Et quomodo sapienter?

^a de remanencia panis vel non remanencia *am Rand* 1. ^b Wicleff — articuli *om.* 2. ^c redactis 2. ^d De una 5 clavium ecclesie (*so am Rand* 1. 2.

¹ *Dionysius Cato, Disticha de moribus* 1, 1.

² *Vgl. S. 141 Z. 28 ff.*

³ *Vgl. S. 143 Z. 3 ff.*

⁴ *Vgl. S. 142 Z. 11 f.*